

www.e-rara.ch

Dissertatio Inauguralis Juridica De Compensationibus

Bernoulli, Johann

Basileæ, [1729?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: Diss 259:29

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-80100>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
COMPENSATIO-
NIBUS
QUAM
SUB UMBONE SS. TRIADOS
AUCTORITATE ET DECRETO
NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI
CTORUM ORDINIS
IN PATRIA RAURACORUM ACADEMIA
PRO
SUMMIS IN UTROQUE JURE
INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTO-
RALIBUS RITE CAPESSENDIS
PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONIT
JOHANNES BERNOULLI,
JOH. FIL. BASIL.
Ad d. 27. May. ANNO M DCC XXIX.
L. H. Q. S.



BASILEÆ,
TYPIS JOH. HENRICI DECKERI.




Library

Q. D. E. N.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE
COMPENSATIO
NIBUS

QUAM
SUB TUTORIS SS. TRIADOS
AUCTORITATE ET DECRETO
AD ORDINEM ACADEMIAE
IN PATRIA RAUAGORUM ACADEMIA

PRO
SUMMIS IN IURIS
INGENIUS ET PRIVILEGIIS DOCTO.
JOHANNES BERNHARDT
JOH. FIL. BASH.
M. A. D. MDCCCXIX.



Basileae.
Typis Joh. Henrici Deserri.





I. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO
DE COMPENSATIONIBUS.

§. I.



*Interest nostra, potius non solvere, quam solutum
repetere l. 3. ff. de Compens. hanc ob causam &
ad evitandas ambages introductus est modus tol-
lendi mutui debiti, minimum quoad concurren-
tem Summam, citra naturalem & actualem rei debitæ præstatio-
nem; qui modus vocatur Compensatio: quod thema mihi pro-
posui Inauguralis Disceptationis loco discutiendum.*

§. II.

Solent autem Doctores, nec sine prægnanti causa, quum
verbis mens ipsa & sensus rei indigitetur, nominis tractatio-
nem rei tractationi præmittere. *Compensatio* Etymologiam
suam deducit à veterum pensatione æris, quod ita mutua de-
bita æquilibrio utriusque æris rependantur. Sumitur autem
Compensatio vel *latè* vel *strictè*; illo modo denotat in genere om-
nem retributionem; ita in §. 2. *J. de Societ.* usurpatur pro
damni à lucro deductione; *In stricta* & propria significatione
accipitur tantum de debitis & creditis inter se contribuendis.
Alias vocatur etiam pensatio, ut in *l. 15. ff. de Compens.* item
deductio in *l. 24. §. 6. ff. eod.* Reputatio *l. 1. §. 4. de cont. tut. act.*

§. III.

Est autem in stricta Significatione *Compensatio*, *Debiti & Crediti inter se contributio*, ipso *Jure mutuum Debitum tollendi gratiâ facta*. l. 1. ff. l. 4. l. f. C. h. t. Dicitur in hac Definitione, Compensationem fieri ipso jure; hoc reverà ita se habet, adeò ut statim ac mutuum debitum esse incipit, alterum per alterum tollatur, aut saltem ad concurrentem summam minuitur, ut & *Usuræ cessent*, *fidejussores ac pignora liberentur* atque omnes *Accessiones extinguantur*. Debet tamen reus Compensationis defensionem allegare, quia *Judex*, uti loquuntur *DD.* divinare non potest, an actor vicissim aliquid debeat, nec ne.

§. IV.

Compensatio dividitur in *temporalem seu impropriam* quæ mutuum debitum ad certum tempus tantum tollit aut minuit. l. 5. pr. de imp. in res dot. fact. l. 56. §. 3. de Jure dot. & *perpetuam seu propriam* quæ mutuum debitum in perpetuum tollit aut minuit l. 4. C. h. t. *Lauterb. tit. ff. de Compens.* §. 4. hæcque est hujus loci.

§. V.

In *Compensationem* regulariter deduci possunt omnia debita, præsuppositis tamen terminis habilibus i. e. Requisite ad Compensationem necessariis, quæ sunt sequentia : I. debet esse *mutuum debitum*. Non entis enim nulla sunt accidentia, adeoque nulla *Compensatio*.

§. VI.

II. Requiritur, *ut debeantur res*; quia facta compensari non possunt, arg. l. 31. ff. de Solut. Non obstat, quod delicta compensari possint. l. 39. ff. Solut. matr. cap. ult. X. de adult. hæc autem non sint res, sed facta : in Compensatione etenim delictorum proprie non compensatur delictum, sed mutuum interesse privatum eorum, qui ex delicto alterius agere possunt; sic si *Titius Mevio* surripuerit rem, quæ valeat aureos vi-

viginti, & deprehensus fuerit, antequam eam in eum locum detulerit, in quo eo die permanere destinaverat, tenebitur huic actione furti manifesti ad pœnam 80. aureorum, quod si jam Mevius Titio vicissim debeat 80. aureos, utpote pro æstimatione injuriæ alicujus, qua ab eo fuit affectus, hæc duo delicta inter se compensabuntur, sed proprie non delicta, verum pœnæ pecuniariæ, quas ex Causa Delictorum Titius & Mevius sibi invicem debent.

§. VII.

Ex modo dictis patet Compensationem locum non habere, si ex delicto agatur criminaliter, & quidem ad pœnam Corporis afflictivam, v. gr. ad ultimum supplicium, Deportationem, Relegationem, Fustigationem, vel ad Infamiam; publice enim interest Delicta puniri l. 51. §. ult. ad L. Aquil. l. 95. §. 1. ff. de Solut. neque relatione Criminum, sed innocentia reus se purgare debet. l. 5. pr. in f. ff. de publ. Jud. Quod si verò ex delicto agatur criminaliter ad pœnam fisco applicandam, quæritur, an tunc valeat Compensatio? & valebit arg. l. 46. §. 4. ff. de J. Fisci. l. ult. ff. h. t. Sed non actori objici poterit Compensatio, verum fisco; quia huic, non actori, aliquid ex Causa delicti à Reo debetur.

§. VIII.

III. Res, quæ compensantur debent esse ejusdem generis; Est autem genus Jctis id, quod Logicis vocatur, species specialissima, & sub se nihil continet nisi individua; e. gr. ab utraque parte pecunia, frumentum &c. l. 4. C. h. t. hinc non locum habet Compensatio tritici cum hordeo, vini cum oleo, pecuniæ cum gemmis arg. l. 2. §. 11. inf. ff. de R. C. l. 16. C. de Solut. hinc cessat Compensatio Summæ pecuniæ, in certa specie solvendæ, v. gr. 100. Solidorum, Stuck vor Stuck/ cum 400. fl. monetæ currentis. l. 51. ff. de Legat. 1. Quidam hic distinguunt, an agat ille qui debet 400. fl. an verò, qui debet 100. Solidos, & in hoc posteriori duntaxat casu Compensationem locum habere affirmant. arg. l. 15. ff. h. t. Quæ ta-

men distinctio omninò inanis esse videtur ; quum enim Compensatio ipso jure fieri debeat ; proinde quoque liquidi cum illiquido nulla sit, hinc prius Compensatio fieri nequit, quam debitor 100. Solidorum cum debitore 400. fl. convenerit, quanti ejus interest, centum Solidos sibi non solvi in specie.

§. IX.

IV. Requiritur, ut debeantur *res ejusdem Qualitatis arg. l. 3. ff. de R. C.* quia Compensatio est loco Solutionis ; hinc vinum novum cum veteri compensari non potest : Non autem requiritur æqualitas debitorum *ratione quantitatis* ; compensari enim potest debitum majus pro quantitate debiti minoris *l. 4. ff. l. 4. C. b. t. §. 30. J. de act.* Nec illud necesse est, ut mutua debita sint sub iisdem usuris contracta. Imò etiam si alterum sit Usurarium, alterum verò gratuitum, nihilominus locum habet Compensatio ; quia Usuræ cessant ab eo ipso momento quo mutuum debitum esse incipit *l. 11. & seq. ff. b. t.* adeoque ab eo momento, debito quod eo usque usurarium erat, sublato, tanquam principali, etiam usuræ, tanquam accessorium, tolluntur.

§. X.

V. Requisitum est, *ut res utrinque debeantur in genere*, ex gr. ab utraque parte Servus in genere ; ideoque non valebit Compensatio, si utrinque debeatur certa species ; v. gr. Stichus & Pamphilus Servi ; quia hi duo Servi possunt esse valoris longe diversissimi, & cum Compensatio sit loco Solutionis, aliud pro alio solveretur, quod invito Creditore fieri nequit *l. 2. §. 1. ff. de R. C. & Creditor rem suam pro alia permutare cogeretur contra l. 16. C. de J. delib. l. 5. C. de O. & A.* neque est speciei ad quantitatem Compensatio. *l. 18. pr. de pignor. act. l. 13. §. 2. ff. de pign. Mæstert. tr. de Compens. quæst. 18. num. 1. & ibi alleg. AA.* nec magis datur Compensatio quantitatis ad quantitatem, si quantitas debeatur per modum Speciei ; *Mæstert. d. tr. quæst. 19. num. 1.*

§. XI.

§. XI.

Ingens inter Dd. est dissensio, *an compensari possit debitum mixtum i. e. civile & naturale simul, cum naturali tantum.* Communis opinio est, quod possit, cui & ego assentior, propter *l. 6. ff. h. t. Vinn. Lib. 1. Quæst. Select. 49. Lauterb. ad tit. ff. de Compens. §. 18.* modo tamen debitum naturale sit tale, quod impediat Conditionem indebiti & quod semel solutum repeti non possit; quod nimirum descendat ex Obligatione naturali perfectâ & à Jure Civili non reprobata. *Objiciunt* Dissentientes, quos inter est *Mæstert. d. tr. quæst. 13. 10.* In Compensationem non venire, quæ per exceptionem perimi possunt. *l. 14. ff. de Compens.* atqui debitum naturale per exceptionem perimi posse, E. In hoc argumento negatur Minor, quod nimirum debitum naturale exceptione perimi possit; confunditur enim ab Adversariis debitum naturale tantum cum civili tantum; hoc enim exceptione perimi potest, non illud; Argumentum meum priori adversum hoc est; Ubi est Exceptio, ibi debet esse actio, atqui ad consequendum debitum naturale ne quidem datur actio, E. illud nec exceptione perimi potest: ex eo vero quod ad consequendum debitum naturale nulla detur actio, non sequitur illud omni æquitate esse destitutum, si hoc enim esset, non impediret Conditionem indebiti; sed solutum ista conditione repeti posset; sufficit autem, ut æquitas subsit, ad concedendam Compensationem; neque enim Compensatio, uti quidam existimant est remedium mere civile, sed potius mera nititur æquitate: *l. 18. ff. h. t. l. 5. l. 6. C. eod. l. 36. de admin. tut.* ideoque toties concedenda, quoties æquitatis ratio id exigit,

§. XII.

Cæterum quam absurda sit hæc adversariorum argumentatio vel ex eo patet, quod eodem modo probari posset naturale debitum, si solutum sit, Conditione indebiti repeti posse & quidem hoc argumento. Quod per Exceptionem perimi potest, ejus per errorem soluti est repetitio *l. 40. ff. de*

de Condict. indeb. atqui debitum naturale per exceptionem perimi potest, E. *Secundo obijciunt Dissidentibus* : Ex naturali obligatione nulla oritur actio; at qui compensat, agere videtur *l. 15. ff. rat. rem hab.* E. Sed quis non argumenti hujus infirmitatem primo intuitu perspiciat : Si enim hoc argumentum aliquid roboris haberet, simili Argumento probarem, quod ille qui non potest agere, non possit excipere, quia qui excipit, agere videtur per *l. 1. ff. de Except.* plura de hac Quæstione vide apud, *Vinnium Lib. 1. Quæst. Select. 49.* transeamus ad aliam.

§. XIII.

Quæritur porro, *an Compensatio locum habeat in Actione Commodati* ? Hic non possum non negativæ Fautoribus calculum adjicere meum ; res enim commodata consideratur ut species, & in specie quoque restitui debet; *neque enim commodari potest id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam vel ostentationem quis accipiat. l. 3. §. ult. ff. Commod. & tunc quantitas debetur per modum speciei* ; Speciem vero compensari non posse, asseruimus in præcedenti §. 10. præterea in *l. ult. C. de Commod.* expressè dicitur, *quod prætextu debiti restitutio commodati non probabiliter recusetur.* Obijcitur quidem à Dissidentibus, *l. 18. §. f. ff. Commod. l. f. C. de Compens. §. 30. J. de act.* sed ad *l. 18. §. f. ff. Commod.* respondeo, quod ista lex non loquatur de Compensatione strictè & propriè sic dictâ; sed de pensatione in lato significato, sub qua etiam continetur retentio : potest enim Commodatarius rem commodatam, in quam impensas fecit, tamdiu tanquam pignus retinere donec sibi à Commodante impensarum nomine satisfactum fuerit : *at dixerit quis* : si Commodatarius potest retinere rem commodatam, donec sibi satisfactum sit, falsum est, quod dicitur, in *l. ult. C. Commod. restitutionem commodati non probabiliter recusari, prætextu debiti* : Ast negatur hæc Consequentia, non enim recusatur restitutio commodati, etsi propter impensas in rem commodatam factas retardetur, donec Commodatario ratione impensarum satisfactum sit. Quod
at-

attinet ad obstantes textus posteriores, nimirum *l. f. C. de Compens. & §. 30. J. de act.* hi duo textus non magis in contrarium faciunt, quam *l. 18. §. f. ff. Commod.* Et si enim in illis dicatur, Compensationem in omnibus actionibus locum habere excepta sola depositi; hoc tamen ita crudè & sine ulla restrictione non est accipiendum; sed præsupponendi sunt termini habiles; Si scilicet omnia requisita ad Compensationem necessaria concurrant, in Commodato autem omnia requisita non concurrunt; quia non debetur quantitas, sed species.

§. XIV.

Quod autem in allegato §. 30. *J. de act.* constitutum, omnes actiones compensari posse, excepta sola Depositum actione: Illud intelligendum est, de deposito rei fungibilis non speciei, quia alias non esset exceptio à regula; si enim species sit deposita, ea compensari non posset, etiam si Depositum non esset exceptum, quia species non venit in Compensationem. Ratio autem, cur in actione depositi Compensatio non habeat locum, exhibetur in ipso §. 30. *J. de act. ne scilicet sub pretextu Compensationis depositarum rerum quis exactione defraudetur.*

§. XV.

Uterius disceptant vehementissime Doctores an Compensatio locum habeat in Repetitione dotis; & distinguendum existimo an Dos consistat in rebus fungibilibus nec ne; Si illud, dos compensari poterit: Sin hoc, iterum distinguendum, an res in dotem data, venditionis gratia sit æstimata; an verò vel prorsus non, vel non venditionis gratia æstimata fuerit; illo Casu valebit Compensatio; hoc Casu non item, *Mastert. d. tr. Quæst. 26. Lauterb. ad tit. ff. de Compens. §. 20.* Ne autem diutius ab instituto nostro discedamus redeundum à diverticulo Controversiarum ad requisita Compensationis.

§. XVI.

VI. Requisitum est, ut debitum, cujus Compensatio ob-
jicitur, sit purum, i. e. ut statim peti possit, & neque de-
beatur sub die, neque sub Conditione; nam quod sub die
debetur, invito debitore non compensatur. *l. 7. ff. h. t.* hoc
tamen consentiente, quin compensari possit, nullus dubito;
quilibet enim favori pro se introducto renunciare potest, *l.*
pen. C. de pact. Regulariter autem omne tempus medium De-
bitoris gratia adjicitur. §. 2. *J. de V. O. l. 99.* §. 1. *ff. eod.*
Si verò sub Conditione aliquid debeatur, non magis illud
compensari poterit, quam id, quod sub die debetur, imò mi-
nori Jure, quia dum Condicio pendet, est indebitum, §. 4.
J. de V. O. l. 213. ff. de V. S.

§. XVII.

Hic, uti equidem autumo, non inconcinne casus hic
subjici possit. *Titius Mercator Sejo Mercatori alii debet aureos
mille sub Usuris; eidem in nundinis vendit, certam mercium
quantitatem pro quingentis aureis,* notum autem est, moris es-
se apud Mercatores, ut pretium pro mercibus, quas in nun-
dinis emunt, demum elapso Semestri persolvant; *queritur
jam, quando debitum illud mille aureorum compenseetur, aut sal-
tem pro quantitate quingentorum aureorum minuat*: An hoc
fiat statim post contractam Emptionem Venditionem, & an
etiam ex eo momento Usuræ cessent, an vero demum elapso
Semestri? Primo intuitu verior videtur prima Sententia,
juxta definitionem Compensationis, in qua dicitur, Com-
pensationem fieri ipso Jure, i. e. statim ac mutuum debitum
esse cœpit; jam verò in Casu nostro est mutuum debitum eo
ipso momento, quo merces fuerunt venditæ; accedit, quod
hoc negotium nec destituatur suis ad Compensationem neces-
sariis requisitis; Debitum quippe est verum, certum, & li-
quidum. Hæc tamen me ad assensum pertrahere non pos-
sunt; sed autumo Compensationem elapso demum Semestri
locum habere: Ad probandam hanc meam Sententiam Di-
stinctio.

inctionem præmitto ; Distinguendum enim esse , puto , an debiti de quo agitur dies cesserit tantum , an verò venerit. (quid significet cedere & venire diem vide *l. 213. pr. ff. de V. S.*) priori Casu Compensationem locum habere non existimo , omnino verò in posteriori ; hac distinctione præmissa , luce meridiana clariùs patet , cessisse quidem diem debiti 500. aureorum , quos debet Sejus Titio , nondum autem venisse ; hinc nec Compensationem fieri posse ; hocque etiam æquitatis ratio suadere mihi videtur.

§. XVIII.

VII. Requiritur ut mutuum debitum sit certum & liquidum. Seu , ut extat in §. 30. *J. de Act. ut aperto Jure nitatur. l. ult. C. b. t.* dicitur autem debitum aperto Jure niti , si de eo constet vel ex adversarii confessione , vel ex genere questionis , cum inter debitorem & Creditorem non disputatur de facto , sed de Jure , *Mastert. Quæst. 14. num. 4.* ubi hoc exemplo illustrat , vel si à Creditore in continenti probari possit ; quantus autem terminus Reo ad hanc probationem sit concedendus , Judicis arbitrio est relinquendum. *Vinn. in Comment. ad Inst. §. 30. de act. Idem in L. 1. Quæst. select. 50. Mastert. Quæst. 14. num. 5. Lauterb. ad tit. ff. de Compens. §. 23.* Notandum hic quod , si fisco objiciatur Compensatio , spatium , intra quod debitum probari debeat , restrictum sit ad duos menses. *l. 46. §. 4. ff. de J. fisci. Lauterb. d. l. Simodo* debitum sit tale , quod Compensationem admittat , & non specialiter propter favorem fisci sit exceptum , qualia sunt ea quæ continentur in *d. l. 46. §. 5. ff. de J. fisci.* de quibus in *seq. §. 21.* Constat itaque illiquidi cum liquido nullam esse Compensationem ; quod si tamen Reus ab initio litis , Compensationem debiti , licet illiquidi , opponat per modum exceptionis juxta communem Doctorum opinionem audiendus erit. *Vinn. Lib. 1. Quæst. Select. 50. Lauterb. ad tit. ff. de Compens. §. 23. & ibi alleg. AA.*

§. XIX.

His requisitis concurrentibus omnes actiones, uti superius adstruximus, ipso Jure minuuntur, excepta sola actione depositi. Sed hæc requisita tantum necessaria sunt ad Compensationem perpetuam seu proprie sic dictam, nam ad Compensationem temporalem nihil aliud requiritur, quam ut debitum compensandum sit purum & liquidum. l. 56. §. 3. ff. de J. dot. l. 5. pr. ff. de imp. in res dot. fact.

§. XX.

Expositis requisitis Compensationis, videamus jam, *quinam compensare possint*: Compensatio fit inter mutuos Debitores l. 2. ff. l. 4. C. h. t. Quæritur jam, *an compensare possit Debitor qui juravit se soluturum?* & respondetur, quod possit; solvisse enim accipere debemus non tantum eum qui solvit, verum omnem omnino qui ab obligatione liberatus est, l. 4. §. 7. ff. de re jud. liberatus autem est, qui compensat. l. 10. pr. ff. h. t. imo dedisse quoque intelligendus est, qui compensavit, l. 19. ff. de liberali causa. l. 76. ff. de V. S. Hæc tamen intelligenda sunt de eo casu, quo Juramentum antecessit mutuuum debitum; namque si tempore Juramenti præstiti jam mutuuum debitum subsuerit, verisimile est, eum qui juravit, Compensationi renunciare voluisse. Plura de hac Quæstione vide apud Mastertium d. tr. Quæst. 12. qui simul ad Objectiones respondet.

§. XXI.

Non refert, mutui Debitores, qui compensare volunt, ejus sint ætatis vel Sextus, l. 1. §. 4. ff. de contr. tut. act. l. 3. C. eod. Lauterb. ad tit. ff. de Compens. §. 7. neque interest, an sint Personæ privatae, an publicæ, imò, regulariter locum habet Compensatio adversus Fiscum Civitatis vel Reipublicæ l. 3. C. l. f. ff. h. t. l. 46. §. 5. ff. de J. fisci. Sed debet Creditor fisci probare debitum intra duos menses, per ea quæ diximus in præcedenti §. 18. Sunt tamen quædam Causæ, in quibus

quibus Civitati & Fisco, ob sui favorem Compensatio plañe obijci non potest. Causæ istæ continentur in *l. 3. C. b. t. & l. 46. de J. fisci*. Suntque sequentes. I. Si quis ex Calendario, ad pecuniam mutuam restituendam conveniatur. Erat autem Kalendarium Codex rationum, in quo pecuniæ creditæ continebantur. *l. 46. de Legat. 3.* ita dictum à Kalendis; quia Veteres à Kalendis ad Kalendas pecuniam mutuo dare & Usuras exigere solebant. II. Si conveniatur Debitor à Fisco, propter debitum ex Vectigalibus ortum; pro quibus rebus Vectigal solvatur vide in *l. 5. C. de Vectig. l. 17. ff. de V. S.* III. Si Debitor conveniatur ex Causa annonaria; veniunt autem sub nomine annonæ omnes res, quæ ad victum pertinent. IV. Si conveniatur ex Causa tributorum. V. Si Civitati debeantur alimenta, quæ illi sunt relicta, ut ex iis alantur infirmi, pauperes in Ptochotrophiis, Xenodochiis, Orphanotrophiis aliisque similibus locis degentes; neque hoc tam in favorem Civitatis est introductum, quam eorum, pro quibus alimenta sunt relicta, ne scilicet isti, pendente Compensationis morâ, fame pereant, & quia alimentorum cura præsens & momentaria est, *l. 8. ff. de Alim. leg.* Ob hanc quoque Rationem Doctores regulam istam extendunt ad omnia debita, quæ alimentorum nomine debentur, *Mastert. d. tr. Quæst. 4. Lauterb. ad tit. ff. de Compens. §. 8. & ibi alleg. AA.* VI. Si quis debeat pecuniam ad statutos sumtus intervenientem v. gr. ad solvenda stipendia Clericorum, Professorum & sim. VII. Si quis debeat Fideicommissum Fisco vel Civitati relictum. VIII. Si quis à Fisco rem aliquam emerit, ejusque pretium debeat *l. 7. C. b. t.* His causis exceptis Civitati & Fisco in omnibus aliis Compensatio obijci potest; modo eadem statio debeat, quæ petit *l. 1. C. b. t.* nam si eadem persona duas pluresve habeat stationes fiscales, non poterit compensare, id quod sibi debetur ex causa unius stationis, cum eo, quod vicissim debet ex causa stationis alterius; hic autem per stationes fiscales denotantur *mansiones*, in quibus officia fiscalia consistunt.

§. XXII.

Diximus locum habere Compensationem inter mutuos Debitores; hinc sequitur ea uti non posse Debitorem, si creditor debeat quidem certam quantitatem tertio, sed non ipsi debitori. *l. 16. pr. l. 18. §. 1. ff. l. 9. C. h. t.* Cessat enim ratio Compensationis, quæ est, quod intersit nostra, potius non solvere, quam solutum repetere; Debitor verò, cui Creditor non vicissim aliquid debet, id, quod Creditori solvit, repetere nequit; neque ergo Compensatio locum habebit inter Cives, quibus aliquid debetur, & eos quibus aliquid debet Civitas quidem, sed non Cives, *l. 7. §. 1. ff. quod cuiusque Univers.* Non magis compensare poterit Debitor principalis, id, quod Creditor non ipsi debitori, sed fidejussori ejus debet. *arg. nov. 4. C. 1. Mastert. d. tr. Quæst. 5. num. 3.* At non idem dicendum de fidejussore, hic enim si solvat pro reo principali sine dubio compensare poterit, id quod sibi vicissim à Creditore debetur. *l. 4. ff. h. t. Mastert. d. tr. d. Quæst. num. 1.* Quæritur an Compensatio objici possit Patri ratione ejus, quod filius debet tertio? Respondetur. Si filius sit emancipatus non potest, quia filius emancipatus habetur pro extraneo; illud verò, quod alius debet quam qui agit, non compensatur *l. 16. ff. h. t.* sin filius sit in patria potestate, quid tunc obtineat vide in *l. 9. pr. ff. h. t.*

§. XXIII.

Ob eandem rationem Compensatio locum non habet inter tutorem & pupilli debitorem si tutor huic proprio nomine aliquid debeat, *l. 23. ff. h. t.* aut si pupilli Creditor tutori aliquid debeat. Cessat quoque Compensatio inter Procuratorem in rem alienam, cui Domini nomine aliquid debetur, & eum, cui procurator proprio nomine aliquid debet, neque Procuratori si agat proprio nomine Compensatio objici potest ejus, quod debetur à Domino procuratoris *Mastert. d. tr. Quæst. 6.* aliter se res habet in procuratore in rem suam seu Cessionario, hic enim si conveniatur, Compensationem ob-

obicere potest, eique si ipse agat recte obicitur; nam Cessionarius in effectu pro Domino habetur *l. 13. §. 1. ff. de Pact. & in l. 25. ff. de Procur.* lis dicitur ipsius propria, videatur quoque *l. 19. ff. h. t.* neque hoc saltem valet post litis Contestationem, sed etiam ante illam *Maffert. d. tr. Quæst. 7. num. 4.* Potest tamen Dominus, ante litis Contestationem, prius compensando, procuratorem in rem suam prævenire, & prohibere quo minus hic compensare possit; quia hunc quoque prævenire potest debitum accipiendo vel agendo, & quia Jus cedentis demum per litis Contestationem plenè & exclusivè in Cessionarium translatum censetur *l. 11. ff. de Novat. l. 3. C. eod. l. 3. C. mand.* Ratio autem cur in *l. 18. ff. h. t.* dicatur: *in rem suam Procurator post litis Contestationem si vice mutua conveniatur, æquitate Compensationis utetur*: hæc est, quod post litis Contestationem indistinctè Compensatio valeat, ante litis Contestationem verò, saltem si procurator non præveniatur à Domino.

§. XXIV.

Quæritur, de hærede, an hic compensare possit illud, quod ipse debet, cum eo quod debebatur defuncto; aut an debitor ejus Compensationem ipsi opponere possit, si simul sit Creditor defuncti? Respondetur, quod in his casibus locum habeat Compensatio; Et si enim revera defunctus & hæres duæ sint personæ; Juris tamen intellectu & subtilitate pro una persona habentur; hocque adeo verum est, ut procedat etiam si hæres adierit hæreditatem cum beneficio Inventarii, dummodo hæreditas sit solvendo; namque si solvendo non sit, Compensatio tantum locum habebit pro Quantitate hæreditatis, arg. *l. f. §. 4. C. de J. delib. Lauterb. ad tit. ff. de Compens. §. 12.* Idem dicendum, si plures sint Cohæredes; namque si unus reliquorum sit Creditor poterit adversus eos uti Compensationis æquitate *l. 1. §. 4. si pars hæred. pet. Maffert. d. tr. Quæst. 10. num. 2.* Quod si verò extraneus, qui defuncti hæres non sit, fuerit tamen ejus debitor, cum singulis Cohæredibus compensare velit, illud solummodo face-

re.

re poterit pro partibus hæreditariis, quia singuli repræsentant personam defuncti non nisi pro partibus hæreditariis *l. 2. C. de hæredit. act. Mastert. d. tr. Quæst. 10. num. 1.* ubi numero fin. docet, quod de *Correis* eodem modo judicandum sit.

§. XXV.

Quæritur secundo, an *Titius* qui hæres institutus fuit, sub conditione ut *Mevio*, qui ipsi viginti debet, decem det, possit debitum hoc compensare & hæreditatem adire? Videtur primo aspectu, quod non, quia omnis *Conditio* possibilis, sub qua quis hæres institutus, est adimplenda. §. 11. *J. de hæred. Inst. l. 5. ff. de Condit. Instit.* hæc autem hoc pacto non adimpletur; quia *Titius* compensando *Mevio* revera decem non tradit. Contraria tamen sententia mihi verior & Juri conformior videtur; quia qui compensat solvere videtur & idem est Effectus Compensationis, qui Solutionis *l. 4. C. de Compens.* atque revera traditio intervenisse fingitur, quia Compensatio est species traditionis brevis manus. Hæc quoque Sententia fundata est in *l. 20. §. 2. ff. de Statu lib. arg. l. 45. ff. de Condit. & demonstr.*

§. XXVI.

Compensationis Effectus, est idem, qui Solutionis *l. 4. ff. qui pot. in pign. l. 4. C. b. t.* Ille enim qui compensat liberatur ipso Jure ad concurrentem quantitatem usque, hincque oritur species *exceptionis*, quæ est Compensationis allegatio, quanquam enim Compensatio fiat ipso Jure, quum tamen sit facti, in Judicio, uti jam antea dictum, allegari debet; exinde quod ipso Jure fiat Compensatio, sequitur etiam ex eo tempore, quo mutuum debitum esse cœpit, omnes accessiones tolli atque cessare, id quod jam supra monitum fuit; hinc *Emphyteuta*, etsi intra constitutum tempus non solverit Canonem, non tamen excidit suis meliorationibus; si Dominus ex eo tempore, ex quo *Emphyteuta* in mora exiturus fuisset ipsi vicissim tantum debeat, quantum sibi ab *Emphyteuta* pro Canonibus debetur, *Emphyteuta* enim in mora esse

esse dici nequit, cum statim ipso Jure debitus Canon compensetur. *Mästert. de tr. Quæst. 28. num. 4.*

§. XXVII.

Disceptatur acerrime inter Doctores, an, qui Compensationem opponit, debitum fateri censeatur? Si remotis omnibus cavillationibus & subtilibus tricis altercationem penitus inspiciam, non possum non in negantium castra concedere. *Palmarium* meæ Sententiæ fundamentum colloco in l. 9. ff. de Except. ubi diserte dicitur: *Non utique videtur confiteri de intentione Adversarius, cum quo agitur, quia exceptione utitur*, qui ergo Compensationem Adversario objicit, non utique debitum ipsum statim agnoscit. *Secundum*, quod ex l. modo allegata necessario fuit, est, quod excipiens duntaxat intendat excludere intentionem Adversarii: Actus autem agentium ultra eorum intentionem operari non debeant; l. 19. pr. de Legat. 1. nec quisquam in dubio tantus Vervex præsumitur, ut velit Adversarium juvando se ipsum jugulare, arg. l. 3. ff. de milit. test. *Tertium*, quod Compensatio sit loco solutionis, aut quædam solutionis species, l. 54. ff. de solut. l. 45. de Condit. & demonstr. Nunc autem nemo Doctorum asseruerit, quod, qui solvit, hoc ipso verum debitum semper & necessario subsuiffe fateatur; aliàs enim tota Conditionis indebiti materia, de qua fusè satis leges nostræ agunt, hoc asserto simul corrueret & inanis foret. *Demum*, si adversarii gratis saltem aliquid in hac lite remittere velimus, de quo tamen non diu gloriari queant, concedamus ipsis, compensantem debitum quidem fateri, sed tantum conditionaliter, si videlicet actor, quod omnino ipsi incumbit, intentionem suam prius probaverit. Qui modo adductas rationes nostras non perfunctoriè, sed cordatè ponderaverit, facile affirmantium spiculas & interjectas Distinctionunculas sine nostro ultiori adminiculo retuderit. Add. *Fachin. Lib. 11. Controvers. Cap. 9. Mästert. d. tr. quæst. ult.*

§. XXVIII.

Affinia Compensationis sunt I. Retentio ; quæ sumitur.
 1. *pro Deductione l. 58. pr. ff. ad S. C. Trebell. l. 15. §. 2. l. 18. pr. l. 25. l. 30. §. 2. & 3. l. 45. ff. ad L. falcid. & quod quis hoc modo retinet seu deducit, sibi reservat.* 2. *Sumitur pro nuda rei detentione, ut in l. 5. ff. de imp. in res dot. fact. l. 26. §. 4. in f. ff. de cond. indeb. l. 25. in f. unâ cum l. 26. ff. de Procur. l. 5. ff. de dote præleg. l. 59. in pr. ff. ad SC. Trebell. & quod quis hoc modo retinet, non sibi reservat, sed illud tam diu saltem detinet, donec sibi satisfactum sit. Differt autem ab hac retentione Compensatio pluribus modis ut 1º. in eo quod Compensatio fiat ipso Jure, passim in l. tt. ff. & C. de Compens. §. 30. J. de act. Retentio vero fit tantum per exceptionem. l. 14. §. 1. ff. Comm. divid. l. 27. §. f. ff. de R. V. l. 48. ff. eod. l. 1. pr. ff. quib. mod. pign. solv. l. 1. C. si aliq. res pign. dat. 2º. Differt Compensatio à Retentione in eo, quod retineri possint tam species, quam res fungibiles compensari vero tantum res fungibiles. 3º. Compensatio fit tantum ob debitum liquidum: Retentio etiam ob illiquidum 4º. Præsupponit Retentio possessionem in latâ Significatione seu detentionem l. 1. ff. de pign. l. 29. §. 1. ff. de Evict. l. 36. ff. ad SC. Trebell. non vero Compensatio. 5º. Compensatio habetur pro Solutione l. 4. ff. qui pot. in pign. l. 4. C. de Compens. Retentio non item & 6º. Compensatione tollitur aut minuitur actio, non vero Retentio. Retentio in prima Significatione differt à Compensatione in eo, quod omnis qui compensat retineat, sed, non omnis qui retinet, compenset.*

§. XXIX.

II. Affine Compensationis est Reconventio, quæ tamen ab illa differt 1º. in eo, quod illa fiat ipso Jure; non vero hæc 2º. Illa non est nisi debiti liquidi; hæc etiam illiquidi. 3º. Compensatio fit tantum pro concurrente quantitate; Reconventio verò in solidum.

Cum itaque constet differre Compensationem à Recon-
 ven-

ventionem, graviter hallucinari videtur vulgus Judicum eorum locorum, in quibus Reconventio non admittitur, quod sub specie Reconventionis omnem Compensationis allegationem statim rejicit, confundens scilicet Compensationem cum Reconventionem.

§. XXX.

III. Affine est *Confusio*, à qua differt *Compensatio*, quod hæc sit debiti & crediti inter se contributio; illa vero debiti & crediti in una persona *Concursus*, ex quo concursu oritur utriusque extinctio; quod fit, si Creditor & Debitor una eademque evadat persona; ut si Creditor Debitoris aut Debitor Creditoris hæres existat. l. 50. ff. de fidejuss. l. 75. l. 95. §. 2. ff. de Solut. l. 7. C. de pact. l. 8. l. 17. ff. de his, quæ ut indign. porro *Compensatio* pendet ab arbitrio debitoris, qui eam obijcit; nam invitus compensare nemo cogitur; *Confusio* autem non pendet à Voluntate Debitoris & Creditoris, sed potius à Juris ratione & ipsius rei natura: Juris enim rationi & rei naturæ adversatur, ut unus idemque sit sui ipsius Debitor & Creditor.

§. XXXI.

IV. Affine est *Solutio*, quæ differt à *Compensatione* in eo, quod ad illam requiratur traditio & ipsa rei debiti præstatio; hæc vero fiat sine tali traditione & præstatione. V. denique affine est, *in solutum datio*: de qua vide Frejer. Tr. de Solut. Cap. 7. membr. 2.

PLura equidem de hoc argumenti genere, eaque magis exasciata disseri potuisse, ingenuè fateor; verum præter Juventutem meam, & variæ aliæ non frivolæ rationes intra hos cancellos me cohibuerunt. Interim pro præstito in his levibus coagmentandis benignissimo auxilio D. O. M. Sit Laus, & Gloria.

COROLL.

I.

JUs omne certum est, saltem respectu Judicis;

II.

Proinde non possum non improbare multorum Advocatorum Consuetudinem Judicem non tam de facto, quam de Jure instruendum.

III.

Laudandi itaque Judices Gallia, quitalibus Advocatis, multa Verba facientibus de eo, quid Juris sit, statim acclamant: Venite ad factum, Curia novit Jus.

IV.

Filio exheredato Pater tutorem dare potest.

V.

In Judio non datur Casus pro Amico.

VI.

Nec Patria nec Dominorum Potestas sese extendit ad vitam Liberorum & Servorum.